

Q. D. B. V.
DISSERTATIONEM PHILOSOPHICAM
DE
**JURIS NATURÆ
INDISPENSABI-
LITATE.**

*in Alma
Vitebergensum Academia
publicæ Sapientum disquisitioni
subjicient*

PRÆSES
M. CHRISTOPH. FRIEDERICUS
Gäserung / Crajâ Thuring.
S. S. Theol. Cultor.

&
RESPONDENS.

JOHANNES NAGEL,

Gilgenburgensis Borussus.

S. S. Theol. & Phil. Cultor.

Ad diem II. Novembr. Anno MDCCCI.



VITEBERGÆ,
Literis JOH. MICH. GÖDERITSCHII:

DIGESTATIONIS PHYSIOLOGICARUM

JURIS NATURÆ
INDISPENSABILITATIS
LIBER

ALPHEIUS HALLIANUS Academia

M. CESSALONII LIBELLICMS
DULCIUS & CIVIS FRANCIE.

JOHANNES NAGEL

1722. 2. 1. 1722. 2. 1. 1722.

1722. 2. 1. 1722. 2. 1. 1722.

1722. 2. 1. 1722. 2. 1. 1722.

1722. 2. 1. 1722. 2. 1. 1722.

1722. 2. 1. 1722. 2. 1. 1722.

1722. 2. 1. 1722. 2. 1. 1722.



Tsi multa & magna sunt beneficiorum genera, quibus divinum numen, qua indulgentissima ipsius clementia est, humanum genus ornare, imo plane cumulare voluit; nullum tamen in his omnibus, opinor, eo habendum est loco, quo merito reponimus, lumen rectae rationis. Hoc enim humanum genus tanto propius ad immortalis Numinis perfectionem accedit, quanto magis de ipsius imagine participavit. Imo hoc unum est, quo reliqua animantia, mirum quantum anteimus, & qvid nostræ hominum naturæ conveniens, quid non; quid honestum in civili vita, quid minus; quid faciendum fugiendumve sit, feliciter discernimus. Beneficio enim hujus rectæ rationis dictaminis, qvod à prima Creatione hominibus quasi hæreditario qvodam jure huc usqve proprium est, data est non eorum modo noritia principiorum practicorum, quæ universaliter, & quasi in thesi, leges quasdam figunt, decernuntque, qvid agendum, vel omittendum sit, quam vocamus; verum etiam ejusmodi facultas homini concessa est, qvaprinципia ista universalia, ad actiones singulares, earundemque circumstantias applicare, & judicare valemus, qvid hic & nunc agere conducat, qvid minus, quam vocare Φείδην consuevimus. Cum autem horum actuum ea natura ac indeoles sit, ut in se & suapte natura vel bonum, vel malum dicant, adeo, ut illum non possimus non amore complecti, hunc odio habere, hinc inter curiosos homines cœptum est qvarri: *An Deus per summam, quia pollet,*

pollet, potentiam efficere posse, ut hic vel ille actus, qv*i* in se & sua natura malus est, non sit malus, & contra; seu, ut planius loquar: *An circa hunc, vel illum actum, qv*i* Juris Naturalis est, possit dispensare.* Quod etsi ita habeat, ut etiam per eam, q*ua* in infinitum pollet, potentiam fieri nequeat, varie tamen olim res in dubium vocata est. Q*ua* etiam propter dignam rem judicavi, in q*ua* periclitarer, q*uid* humeri valeant, q*vid*ve recusent, eam aliorum examini exponendo. Ante autem q*vam* rei ipsius tractationem suscipiamus, Deum immortalem, q*vam* possumus calidissimis precibus, imploramus & obtestamur, velut infinita sua, Clementia & in hoc negotio clementer nobis adesse, atq*ue* omnia nostra dicta & cogitata ita dirigere, ut sanctissimo ipsius nomini gloriae, nobis ipsis autem saluti sint & emolumento.

§. I. Ne autem in primo statim limine impingamus, non de nihilo erit, brevem q*vandam* instituere tractationem circa ea, q*vae* spectant vocabula hic occurrentia. Cum vero de vocibus *Juris & Naturalis*, quantum perspicua brevitas id permisit, superiori Disputatione actum sit, nolumus in præsens, q*vae* ibi dicta sunt, repetere, ne actum agere videamur. Dum autem de *Juris Naturæ Indispensabilitate* agimus, capimus illud pro dictamine rectæ rationis, quod id, q*vod* in se bonum, faciendum, q*vod* vero malum, fugiendum esse pronunciat. Adeoque progredimur ad vocem *Indispensabilitatis*, cuius dextra & genuina explicatio quanto plus lucis iis, q*vae* dicenda sunt, tñenerare poterit, tanto sollicitius & explicatius de ea agere nostrarum erit partium. Arcessit autem Indispensabilitatis vox natales suos à voce *Diipensare*, q*vae* matrem agnoscit vocem *Penso*, à Pendo ere. Verbum itaq*ue* dispensare propriè est in diversas partes pensare, & ad libram unicuique suum adjudicare, & cùm apud bonæ Latinitatis Autores reperitur, idem est, q*vod* distribuere, aut administrare. Sic apud ipsum Ciceronem, propriæ

propriæ eloquentiæ Parentem, rem domesticam dispensare dicitur, a) qvi administrat. Apud Cornelium Nepotem dispensare pecuniam, b) est eam dispartire. Unde Dispensator. Sic Peculiare servorum genus penes Romanos erat, quorum partes erant, negotia procurare, venalia distrahere, pecuniam in rationes referre, ceteris servis labore & alimena admetiri, ut proditum est ab Henrico Kippingo. c) Quæ acceptio paulo alienior est ab ea, quam nos intendimus. Propius verò ad nostram accedit seqvens, quæ est Seneca, quando d) dicit: Nunc in perulantiam & audaciam erumpet male dispensata libertas, pro: nimis indulgenter concessa. Et sic communiter vulgari notione capit, pro indu'genter & præter officium concedere aliquid, qvod alias haud quæquam concedi debuisse. Cum autem nos Legem seu Jus Naturæ dicimus esse indispenſabile, dispensare nobis idem est, qvod facere, ut lex hæc, vel illa, hunc vel illum non obliget, quem alias maximè obligasset, nisi singulari beneplacito legislatoris ab hac obligatione immunis præstaretur. c) De qua tamen dispensatione infra data opera acturi sumus ante, quam ad ipsam veram sententiam, suis argumentis roborandam accingamur.

§ II. Qvod vero est ad Synonyma, de iis diu sollicitos esse, nostri instituti ratio non fert; nec adeo multa dantur, quæ inter Synonyma censi cœlant. Neminem tamen, qvi harum rerum gnarus est, fugiet ipsum Aristotelem Jus Naturæ vocare ~~in~~ immutabile, seu immobile, qvod ubique eandem vim habet, non fecus, ac ignis, & hic & apud Persas urit. Et vulgo dicitur: Jus Naturale non variatur tempore, sed immutabile semper permanet, f) sicut Jus naturæ

a) XI. ad Attic. Epist. I. b) in Con. C. IV. l. c) Antiq. Rom. lib. IV. C. I. p. 561. d) I. 1. de Benef. Cap. X. e) Pufendorf. de Off. Hom. & Civ. C. II. §. 9. & Hornejus Phil. Mor. lib. IV. C. III. n. XXXVI. f) vid. Wentzeli Phil. Praef. p. 393.

naturæ eandem vim & potestatem ubiq; gentium obtinere perhibetur. Insuper cedro digna sunt, & lævi servanda cypresso, qvæ habet Cicero: g) *Est vero*, inquiens, *lex rectaria* *tio, naturæ congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna*: *Huic legi nec prorogari fas est, nec derogari ex hac aliquid licet, nec tota abrogari potest.* *Nec vero aut per Senatum, aut per populum hac lege liberari possumus.* Et haec est illa ipsa, quæ penes nos vocari solet, Indispensabilitas, quam legi Naturæ vindicaturi sumus, si pauca modo de falsis allorum sententiis prælibaverimus.

§. III. Quanquam autem hæc nostra sententia, quæ Jus Naturæ indispensabile asserit, sua ipsius luce radiet, tamen, qvæ qvorundam animos tanta perversitas incessit, ut adversus Solem loqui non vereantur, neque hic defuerunt, qvi in adversum nitantur, etiam si nihil solidi proferre valeant, qvod veritati nostræ sententiae detrahant. Sic enim totum ferè gregem Doctorum in Papatu à nobis divorrium facere palam est. Ubi tamen non una omnes cepit sententia, adeo, ut legem Naturæ à Deo vel abrogari posse statuant, qui error est Caramuelis h) & Durandi apud Beat. Scherzerum; i) vel cum Canonistis asserere non dubitent, & ipsum Pontificem Romanum, à quo tamen, quantus quantus est, nihil humani alienum esse sciunt, contra Decalogum dispensandi facultate pollere. k) Deum vero circa præcepta Juris Naturæ dispensare posse, tantum non omnes assérunt. Alii tamen alia ratione. Dantur enim, qui statuunt, Deum dispensare posse de omnibus præceptis Decalogi, continentis summam Legis Naturalis. Qvæ opinio est Ochamii^z, Sent. Quæst. 19. Gersonis & seqvacuum. Sic Svarezius diserte scribit, l) posse Deum licentiam homini dare.

g) lib. III. de Republ. h) in Theol. Mor. fol. 235. i) System. Theol. Loc. IX. §. IX. k) vid. Angel. de Clavas. in Summa voce Papa & Antoniolum in Summa Parte. III. Tit. I. c. III. l) de lege Cap. XV.

re per universam vitam, imo per totam aeternitatem, nullum bonum motum circa ipsum Deum exercere, neque cultum aliquem directum, & proximum exhibere. Alii, quantum est ad primam Decalogi tabulam, Deum dispensare posse putant, tantum circa legem de Imaginibus. m) Sunt, quibus id quidem assertu durum videtur, interim tamen arbitrantur, Deum commodè dispensare posse, circa leges, quæ ad secundam Decalogi tabulam pertinent. Qvod tuerit Bonaventura in Dist. 47. Q. ult. & Sot. de Justit. & Jure. Q. 3. Art. 8. & Egidius Roman. n) Alii. Ubi iterum Svarezius statuit, præcepta hujus tabulae esse tantum Juris divini positivi, excepto solo præcepto de Mendacio. o) Ita & Curcellæus, Armini socius Opp. Theol. fol. 742. seq. statuit, Deum aliquos & ad tempus dispensare posse ab observatione preceptorum, que Juris sunt naturalis, non quidem in rebus in summo gradu honestis, aut turpibus (ut sunt amare Deum, manata ejus observare, odire Deum) sed in rebus, que in medio, vel insimo gradu homini sunt turpes; Quomodo Deum dispensasse arbitratur, cum Abrahamum juberet, filium suum unigenitum immolare, & Israelitas spoliare Ægyptios.

s. IV. Haud melius calculum posuerunt Judices illi, qui Regi Cambysis sciscitanti, an sibi liceret germanam sororem in uxorem ducere, responderunt, nullam quidem legem de Conjugio cum sorore contrahendo apud Persas se inventire, sed aliam tamen esse, quod Regi Persarum liceat, quicquid libertat, putantes, Regis quidem esse leges dare, sed non accipere. Ut memoriae proditum est ab Herodoto. lib. 3. Nec minor dementia Anaxarchum Philosophum invaferat, qui Alexandrum M. ob Clyti cædem mœstum, solatio erecturus, alloquebatur: En tibi Alexandrum, quem universus terrarum orbis suspicit, ut jacet mancipii in morem stens, hominum-

que

m) quos vid. apud Gispertum Voetium Part. I. Disp. Sel. f. 20. n) vid. Meissneri Epil. Sostr. P. III. p. 549.

qve legem, & reprobationem timens, qvibus ipse debebat, uris
regula & finis esse, siquidem in hoc vicit, ut imperaret, non ut
inani opinione vietus serviat. Nescis Ius & fas ascidere Joni,
quicquid Rex facit, id justum fasque sit. Et si autem tam in
proclivis, qvam imber est, cum pluit, judicare, qvanti
roboris sint arma ipsorum, qvibus contra nos aeternamq;
veritatem militant, eorum tamen nonnulla §. 9, afferre, ad
eademq; respondere, qvantum fieri poterit, animi fert
sententia.

§. V. Verior autem nostra est Sententia, qvæ dicit Ius
Naturæ esse immutabile, & indisponibile, cùm & rectæ ra-
tioni conveniat, & divinioris Codicis veritati nihil qvic-
qvam detrahatur. Ante vero qvam eam probemus, pauca,
ut promissimus, præmittenda erunt, de ipsa Dispensatione.
Dispensare autem, ut rem in pauca conferam, est facere, ut
lex aliqua in certo aliquo casu non valeat. o) Cum autem
lex aliqua non valere ob varias causas dici queat, observan-
dam, qvintupliciter illud secundum nonnullos fieri, nimi-
rum per irritationem, abrogationem, derogationem, equitatem,
& denique dispensationem. De singulis pauca. Per irritatio-
nem legem aliquam non valere efficitur, quando is, à quo
perfecta legis obligatio dependet, legem aliquam approba-
re vel detractat, vel eam etiam prorsus improbat. Sic si
Princeps legem ab inferiori, sibi qve subordinato Magistra-
tulatum recusat habere ratam, vel eam penitus improbat,
lex irrita habetur. Per abrogationem, qvando legislator ob-
ligationem legis, ab eo, qvem obligabat, ita removet, ut
lex secundum se totam lex esse desinat, nec ullum amplius
obliget. Eoq; sensu non dicimus, qvod lex positiva He-
bræa, nostri respectu abrogata sit, cum eorum respectu,
qvos nunquam obligavit, abrogata dici non possit. p) Per
dero-

o) Hornejus l.c. p. 608. p) Grotius l.c. §. XVI. n. 7.

derogationem vērō lex aliqua valere negatur, qvando legislator obligationem legis ab eo, qvem obligabat, removet, ut lex non in totum, sed tantum ex parte aliqua aboleatur, & ex parte solum neminem amplius obliget. *Per æqvitatem*, seu *in iure*, qvando declaratur tandem, hunc vel illum actum, seu casum, ab initio promulgatae legis, sub ea ex mente ipsius legislatoris, non contentum fuisse. Sic fingamus, lege qvadā cautum esse, ne urbis portæ, durante obsidione, aperirentur, forte fortuna autem accidere, qvosdam, qvibus tota Reip. salus niteretur, extra urbis portæ versari. Hinc oritur qvæstio: an citra legis transgressionem, qvi extra urbem sunt, apertis foribus, intromitti queant? & respondetur, qvod omnino salva legis veritate, æqvitate sic postulante, declarari queat, hunc ipsum casum sub lege ab initio promulgationis non fuisse contentum. Ultimo denique legem aliquam non valere efficitur *per Dispensationem*. Hæc autem dispensationis vox vel capitur propriè, vel impropriè. Sic enim impropriè capi docet B. Meisnerus q) vñando Deus dispensasse dicitur, dum actum aliquem, qvi legi naturali adversari quidem videtur, qvod ad materiale ipsius, permittit, seu approbare videtur; etiamsi hic ipse actus, si in se & sua natura consideretur, omnesque circumstantiæ & conditions perpendantur, legi Naturæ non adversetur. Et sic dici potest, Deum ita dispensatur, si ponamus, Abrahānum, jussu ipsius Iſaacum jugulasse; atqve dum ipso autore & iſafore Israelitæ Ægyptiorum vasa auferebant. Exod. XI. 2. XII. 36. Sed hanc dispensationem maximè impropriè, & abusivè admodum dictam esse, subinuimus, & docet id nobiscum B. D. Meisnerus l.c.

B

§. VI.

q) l.c. p. 548.

§. VI. Dispensatio vero propriè dicta est, qvando ipse supremus legislator ab hoc vel illo, qvi subiectum legislatæ erat, & maxime obligabatur, ipsam obligationem removet, ut impune facere liceat, qvod contra legem est, nihilo minus lege salva manente. Dum autem dicimus, esse qvando supremus legislator removet obligationem significatur, eam facultatem, præter ipsum legislatorem in neminem alium competere. Cujus enim est ligare, ipsius qvoqve erit solvere. Legem figere eandemqve refigere, unius ejusdemqve est. r) Porro dicitur: ab hoc vel illo, qvi subiectum late legis erat. Id ideo dicitur, ut constet, id minime intelligi posse de eo, qvem lex nunquam ad hoc vel illud admittendum omittendumve obligavit, qvem, cum nunquam ligatus fuerit, solvi dicere repugnat. Tandem: nihilo minus lege salva manente; qvo declaratur, legem non mutari neque per irritationem, neque per abrogationem, neq; per derogationem, neque per adhibitam sententiam, sed ea sarta tectaque, removerit tantum à subiecto legis obligationem. Et, qvanquam optimo jure dispensationem dirimere queamus in humanam & divinam; tamen, cum sermo nobis sit de Indispensa bilitate Juris Naturæ, oppido patet, non humanam, sed divinam tantum venire in controversiam. Cum enim Jus Naturæ omnes omnino homines, etiam eos, qvi in his terris neminem agnoscunt superiorem, nullaqve lege humana tenentur, obliget, de se facile constare, & palam esse potest, horum neminem contra eas leges dispensare posse, qvæ ipsis sunt superiores. De eo igitur tantum queritur: An Deus possit de Jure Naturæ dispensare, per infinitam nimirum potentiam?

§. VII.

x) Meiss. l.c.



§. VII. Proposita autem hac Quæstione, idem significatur, ac si diceretur: *An Deus salvâ sua justitia, sive sine aliqua repugnancia dici queat, peculiari quodam indultu, quenquam liberare posse, ab obligatione legis Natura, ita, ut lex ea, que omnes obligat, iis circumstantiis, quibus obligat, eum non obstringat.* s) Ubi quando dicitur: *in circumstantiis, quibus alias obligat, observandum est, huc trahi non posse illas circumstantias, quæ forte à Jure humano additæ sunt, circa quas non Deus lolum, verum etiam ipsi homines dispensare possunt.* Ad datam vero Quæstionem respondendum esse negando, non sine ratione putamus. Quippe sana ratio nos docet Deum in se suisque decretis esse prorsus immutabilem. Qvod cùm ita sit, fieri non potest, ut illud, quod aliquando fieri præcepit, iis ipsis, quibus illud fieri voluit, circumstantiis, fieri nolit. Qvod si autem concederemus, Deum posse dispensare, vel inviti admitteremus, jubere Deum aliquid nunc fieri iis circumstantiis, quibus olim non fieri jusserit præceperitque, eundemque in horas mutari, & consilium, quod prius intenderat, nunc repudiare, quod si non $\alpha\Phi\lambda\omega\vartheta\sigma$ est, ne scio, quid sit aliud. Imo hoc pacto injurii essent in ipsam justitiam & sanctitatem divini Numinis. Etenim, si contra jus naturæ, quod particula quædam ejus justitiae est, dispensaret, hanc suam ipsius justitiam everteret. Imo, cum nihil sit in Deo, quod non sit ipse Deus, se ipsum destrueret, quod aslerere, iterum & $\alpha\Phi\lambda\omega\vartheta\sigma$ esset, & extremae impietatis. Accedit, quod hæc dispensatio ratione plane repugnet. Atque enim humanorum circa quos versatur Jus Naturæ, ea est natura & indoles, ut in sua essentia, aut suapte natura morales sint. Hoc est, ut vel boni sint, vel mali, honesti, vel turpes; Seu, qui præcipiuntur,

s) Hornejus l. c. p. 609.

tur, intrinsecus sint honesti ac liciti, qui prohibentur, in-
honesti & illiciti. Cum autem Deus per infinitam suam
potentiam, circa hos actus dispensaret, efficeretur, ut actus
aliquis, simul justus, & injustus, & illicitus esset.
Justus enim & licitus esset ejusmodi actus, quia praece-
retur à Deo, qui nil, nisi quod justum & sanctum est, prae-
cipere potest; Injustus autem, & illicitus, quia in se & sua-
pte natura rationi humanae inconveniens, seu illicitus es-
set. Quod repugnat, & contra prima sciendi principia
est. Rem exemplo aliquo illustrare, non erit de nihilo.
Ponamus, commisso aliquo adulterium. Hoc autem
adulterium, cum actus sit, qui intrinsecus & sua pte natu-
ra malus & illicitus est, fieri sane non potest, ut actus bo-
onus & licitus evadat. Qvanquam enim non sit inficiant-
dum, Deum plura facere posse, quam finitus, noster intel-
lectus capiat; eo tamen non extendenda est ipsius poten-
tia, ut ad ejus objectum etiam referantur, quæ sibi ipsis re-
pugnant, & manifesto aliquam contractionem involvunt.
Præclare non minus, quam sapienter in hanc rem Groti-
us l.c.c.I. §.X.n.5. Est autem, scribit, Jus Nature adeo im-
mutable, ut ne à Deo quidem mutari queat. Qvanquam e-
nim immensa est Dei potentia, dici tamen quedam possunt, ad
qua se illa non extendit, Quia que ita dicuntur, dicuntur tan-
tum, sensum autem, quod rem exprimat, nullum habent, sed si-
bi ipsis repugnant. Sicut ergo ut bis duo non sint quatuor, ne
à Deo quidem potest effici, ita ne hoc quidem, ut quod intrin-
seca ratione malum est, malum non sit. Et hoc est, quod signi-
ficat Aristoteles, cum dicit: ἡνα τιδο; ὥδεσαι των εκπειτα υπά-
της Φαντασίας. Nam ut esse rerum, postquam sunt, & qua
sunt, aliunde non pendet; ita & proprietates, quæ esse illud
necessario consequntur; Talis autem est malitia quorundam
etiam, comparitorum ad naturam, sana ratione utentem,
itaque

itaque & Deus ipse secundum hanc normam de se judicari patitur, ut videre est Gen. XVIII. 25. Ezech. XVIII. 25. Jer. II. 9. Mich. VI. 2. Rom. II. 6. III. 6. Ex hac tenus disputatis cuivis facile patere potest, quare afferuerimus, nec Deum ipsum Dispensare posse circa ea præcepta, quæ sunt Juris Naturæ. Qyanquam non repugnet, Deum aliquam rem, quæ jam objectum Juris Naturæ est, ita mutare posse, ut non amplius Juris Naturæ sit, de ea aliquid decernere. Quæ objecti mutatio probè discernenda est à Dispensatione propriè sic dicta.

§. VIII. De hac autem objecti mutatione ita habendum est: Etsi Jus Naturæ, intrinsecè & inse spectatum, non possit mutari, per hac tenus disceptata; potest tamen aliquis actus, de quos Jus Naturæ alias constituit, ita mutari, ut desinat esse objectum Juris Naturæ. Adeoque Jus Naturæ, si extrinsecè, seu quod ad nudum actum, spectetur, tantum sit mutabile. Fingamus, Deum alicui homini privito in mandatis dedisse, ut hunc, vel illum interficiat se autore & svasore; quæritur: An Jus Naturæ mutetur? & respondeatur, sic Jus Naturæ, cuius hic actus objectum erat, quemque prohibebat, non in tantum mutari, ut homicidium istud ipsi à Deo indulgeatur, si id intrinsecè spectemus; Verum mutatur tantum Jus Naturæ extrinsecè, seu, quod ad nudum actum est, ut actus ille desinat esse objectum Juris Naturæ. Adeo, ut hæc interfectio, Deo, vitæ nostræ supremo domino, autore susceppta, non sit homicidium, nec Jure Naturæ prohibeatur, quod de illis, quæ non amplius ejus sunt, nihil constituit. Et quid est, quod rem exemplis è longinquo petitis, illustratum eamus, cum ea in humanis rebus quotidie fieri, doceat experientia. Faciamus principem esse, qui vasallum suum, ob antegressam quandam malitiam feudo pri-
vet;

vet; princeps ille omnino facit, ut Vasalli agnatus feudum ipsum licite acquirat & occupat, quod, nisi privatio ista præcessisset, invadere rapina, aut spolium fuisset. Parili modo qui Deo autore, hominem vita privat, aut aliena contrectat, nec homicidium, nec furtum committere dicendus erit. Eleganter iterum, suo more, Grotius u) fit tamen, inquit, interdum, ut in his actibus, de quibus Jus naturæ aliquid constituit, imago quedam mutationis fallat incertos, cum revera non Jus Naturæ mutetur, quod immutable est, sed res de qua Jus Naturæ constituit, mutationem recipiat. Exempli gratia: Si creditor, quod ei debeo, acceptum ferat, jam solvere non teneor. Non quia Jus Naturæ desit præcipere solvendum, quod debeo, sed, quia quod debebam, deberi desit. Et, paucis interjectis: Ita si quem Deus occidi præcipiat, si res aliquis auferri, non licitum fiet homicidium, aut furtum, quod vita & rerum supremo domino autore fit. Nulla igitur Juris Naturæ mutationis locum habet, sed est tantum aliqua mutationis imago, ut loqui amat Grotius, quæ nequam incautum fallat, studiose præcavendum erit. Quod omni procul dubio accedit Curcellæ, Arminiano, quem supra citavimus, qui ita Deum dispensasse putat dum Abram immolare filium, & Israelitas spoliare Ægyptios jussit, recensente id Domino Hebenstreit l.c.p.602.

§. IX. Nunc autem, promissi memores, convertemur ad eorum, qui à partibus Adversariorum stant, objections. Qvaruna eti varias nunc in scenam producere queamus, tamen, cum ex prædictis iam tum facile liqueat, quo loco numeroque unaq;æque habenda sit, paucis, brevitatis studiosi, contenti erimus. Prima autem earum est: non absurdum videri, dicere Deum dispensare posse circa precepta Juris Naturæ, cum ipse Juris Naturæ autor, eodemque super-

t) Hornej. l.c. p. 612. u) l. c. §. X. n. 6.

rior sit; legem autem inferiorem tolli à superiore, nec novum, nec insolens esse. Qyod si faciles demus, Deum & esse ejusdem autorem, eodemque superiorem, observandum tamen, inferiorem legem à superiori tolli, si nimurum inferior diversa sit à superiori. Cum autem hæc directè sit superioris exemplar & ^{in twm} seu verbo Divi Augustini x) ex ipsa lege æterna Dei qvafit transcripta, abolitioni illi nihil loci hic reliquum est. Hoc argumento parum tuti, ad Scripturam S. omnis veritatis & Sapientæ thesaurum, se recipiunt, petituri inde exempla, in qvibus multum præsidii repositum esse arbitrantur. Primo autem loco provocant ad historiam Abrahæti, qui ab ipso Deo filium suum unigenitum, uniceq; dilectum, jesus est mactare, Genes. XXII. 2. Jam autem hominem, qui nihil mali commeruerat, interficere, homicidium est. *Homicidium enim dicitur Pufendorfio, cædes hominis innocentis, & contra leges.* Cum vero hic actus Juri Naturæ repugnet, liquido constare putant, Deum circa hunc actum dispensasse, nisi eundem nefandi alicujus facinoris reum agere velimus. Sed non est, qvod tantopere glorioruntur. Etsi enim non respondeamus Deum, non serio jussisse; neque, Deum jussisse tantum actus præparatorios, ut Abrahæti fidem tentaret, non vero consummatorium, cum iterum prohibuerit, qvod placet B. Danhauero & Scherzero; y) sed maximè statuamus, Deum serio jussisse; imo, si ponamus, Isaacum actu imperfectum, nihil tamen nos admissuros, unde adversa pars aliquid injustitiae Deo africare, aut theseos veritatem indiscremen adducere queat, confidimus. Cum enim Abrahamus, non sua ipsius privata autoritate, sed illius, qui vitæ necisq; dominus est, & unicuique nostrum, qvandocunq; & per qvemcunq; voluerit, pœnam mortis

x) l. a. de Ord. c. 8. & l. 38. qq. Cap. 53. y) in Nucl. Phil. p. 211.

mortis infligere potest, Isaacum interfecisset, homicidii non magis reus agi potuisset, quam ille, qui Magistratus iussu aliquem vitam cum morte commutare cogit. *Homicidii enim nomine non quamvis hominis cedem intelligimus, sed destinatam, & innocentis, verba sunt Grotii* z) Nec est, quod dicant, Deum dispensasse, cum israelitas iussit *Egyptiorum vas afferre.* Exodi XII. 2. Quidcumque Deus supremus omnium rerum dominus sit, absq;o habet, qvicq; vid bonorum mortalitas possidet, ipsi integrum, huic aliquid, qvod antea dedit, adimere, alteriq; concedere. Accedit, qvod aurea hæc argenteaque vasa *Israëlitis in mercedem maximorum laborum qvos urbes Egyptias edificando, exantlavabant, adjudicata fuerint, atq; adeo, ut qvæ prius aliena erant, jam propria Deus efficerit.* Neg. huc actui ratio furti competit ex eo, qvia spolia illa *Egyptiacæ non fuerunt accepta in invito domino vel principali Deo, quo jubente hoc ipsum fecerunt Israëlitæ Exod. III. 22. vel minus principali & secadario, Egyptis, qvod palam fit Exodi XII. 36.* Nec plus præsidii ipsis reliquum est, in historia Maccab. ubi Judæis die Sabbathi, absq; e ejus violatione pugnare licuisse refertur. Facere enim die Sabbatho, qvæ ad Salutem hominum procurandam spectant, non magis iniqvum est, quam eodem, die ægroto, remedium, aliquod invenire. Matth. XII. 12.

z) l. c. p. 112. a) l. c. p. 112.

Notandum. §. V. not. p. pro l. c. lege de Jure Belli ac Pacis l. 1. Cap. I.




ULB Halle
001 507 494


3



TA 30 L

VDA 8





Q. D. B. V.
DISSERTATIONEM PHILOSOPHICAM
DE
**JURIS NATURÆ
INDISPENSABILITATE.**

in Alma

Vitebergensium Academia
publicæ Sapientum disquisitioni
subjicient

PRÆSES
M. CHRISTOPH. FRIEDERICUS
Gäserung / Crajâ Thuring.
S. S. Theol. Cultor.
&
RESPONDENS.

JOHANNES NAGEL,

Gilgenburgensis Borussus.
S. S. Theol. & Phil. Cultor.

Ad diem II. Novembr. Anno M DCCI.

*VITEBERGÆ,
Literis JOH. MICH. GODERITSCHII.*